...24.

...quiter spectantia.

Sturcii (Arar.): Oratio de nobilitate eiusque natura et officiis.

Cracoviae. 1604.

ORATIO
DE
NOBILITATE
EIVSQVE NATVRA ET OFFICIIS.

AD

ILLVSTRISS: HEROEM ET DOMINVM,

D. NICOLAVM ZEBRZIDOWSKI DE ZEBRZIDOWICE, PALATINVM ET GENERALEM

neralem Cracouienſem, Sniatineñ. &c. Capitaneum, Senatorem Regni Poloniæ Primarium.

Scripta ab

AZARIA STVRCIO

I. V. Cand.

CRACOVIAE,
An. Dom. 1604.

ILLVSTRISS: DOMINO.

NICOLAO ZEBRŽIDOWSKI DE ZEBRZIDOWICE, PALATINO ET Generali Cracouieñ Sniatineñ: &c. Capitaneo, D. & Mæcenati ſuo reuerenter colendo S.P.

EX QVO, ILLVSTRISSIME HEROS, in nobiliſsimam Celſ. V. clientelam ſuſceptus ſum, ab eo ſtatim tempore, quo iuris interpres filio Celſ. V. iuueni generoſo & magnæ ſpei deſtinabar, vidi & cognoui humanitatē Celſ. V. ſummam, quam in tanta dignitate omnibus declarat: Mihi quoq; peregrino & veluti exſuli tantam beneuolentiam exhibuit, vt ingratum me planè iudicarem, ſi non aliquo grati animi ſigno hoc ipſum cunctis oſtenderem. Offero ergò hoc qualecunq; literariū munus de Nobilitate eiuſq; natura & officiis. Poloniam ſidus nobilitatis dixerim, cui ad omnes honores & dignitates per virtutem facilis eſt aditus. At inter nobilitatem Polonam familia Zebrzidouiorū, tanquam Heſperus, emicat: Cuius Celſ. V. propter heroicas virtutes meritò ornamentum dicitur. Sed harum argumenta alteri tempori reſeruo, ne breuitate gloriā obſcurem. Deuoui enim me meaq; ſtudia Celſ. V. Interim hoc exiguum gratitudinis ſignum Poloniam relinquens apud Celſ. V. extare volui. Valeat Celſ. V. quàm diutiſsimè. Cracouiæ pridie Non. Decemb. Anno 1604.

Celſ. Vræ *Addictiſsimus Seruitor.*

Azarias Sturcius.

ORATIO.

MAGNVM EQVIDEM DICENdi argumentum elegimus tractandum, quòd animis nosttis insigi debere putamus; turpe esse viro nobili ac patricio ius, in quo versatur, ignorare: sed vtinam eadem vis nostræ orationi inesse posit, quam habuit, cum primum à Q. Mutio ad Seruium Sulpitium pronunciaretur. Tanta enim acrimonia perculsit pectus Seruij Sulpicij, vt ille non solum, quàm multa paucis dicta essent, facile agnosceret: sed & adeo iuris ciuilis Scientiæ operam dedit, vt multis, qui iam longis interuallis præcesserant, palmam præripuerit. In probris enim vel maximè in promptu est, si de homine splendidis natalibus & generis dignitate præclaro, illud Ammiani Marcell. de Orphito summæ dignitatis viro scriptũ occinatur: Vir prudens quidem & rerum forensium oppidò gnarus est, sed splendore liberalium doctrinarum minus, quàm nobilem decet, institutus. Itaq; constat quantò ignorantia rerum diuinarum atq; humanarum nobili viro plus dedecoris & obscuræ excitationis vim adferre solet, tantò è diuerso scientia iuris vsu rerũ confirmata, decus præclarius addat, & dignitatem adferat verè inclytam. Et certè nobilis vir è summo genere natus, nihil prius, nihil antiquius habere; quin potius in eam rem, omnes ingenii ac industriæ neruos intendere debet, vt à maiorũ virtute & laude minimè degenerasse videatur. Quod sic facillimè consequetur, si turpitudinem non solum vitæ & factorum cautè deuitauerit, sed etiam, si, quam ignorantia iuris, disciplinæ & bonarum disciplinarum aspergit maculam, prudenter euitauerit, vt dignitate non minus quam virtute, & suæ non alienæ virtutis commendatione præcellere videatur. Operæpretium ergò facturi videmur, si breuiter & succincte propos-

posuerimus, quod sit veræ nobilitatis eximium decus, quæue iusta & conueniens eius comparandæ & conseruandæ ratio. Deinde quod artes ingenuæ fideliter perceptæ, tantum abest, vt nobilitati derogent, vt ei amplissimum quoq; decus & immortalem quendam splendorem adferre soleant. Vos omnes & singulos rogo, vt benignum mihi præbeatis animum, ne sermo in vanum recidat, si æquis animis acceptus non fuerit.

Itaq; rectè præcipiunt, qui aiunt, suis quemq; bonis confidere debere, quod & tutius, & firmius in propriis fixisq; bonis adsit præsidium, quam in alienis atq; caducis. Quamobrem & Diogenes eos solum nobiles & prçclaros dixit, qui cuncta, quç homines admirantur & in pretio habent, veluti diuitias, honores, omnesque vitæ suauitates, pro nihilo ducerent: ea verò quç viderentur acerba, quæ multa & varia in hominum vita fortunaq; occurrunt, ita ferrent, vt nihil à statu naturæ, nihil à dignitate discessisse, sed omnem fortunç casum inconcussæ mentis constantia superasse viderentur. Sanè virtutis exercendæ exactissimam ille rationem descripsit, & sic planè eam proposuit, vt eam consequi homini futurum sit difficilimum, nisi singularis animi moderatio adhibeatur, qui seipso contentus sit, & cætera parui faciat. Quàm virtutis, quæ nobiles facit & promouet, laus sit magna, ambiguū est nemini: quamue eius via aspera & salebrosa sit, obscurum est nemini. Nec enim eius opera statim in promptu est, sed doctrina, vsu & adsuefactione comparanda, exercenda, & factis præclaris velut exornanda. Sed tamen par est, vt pro humanç naturæ imbecillitate sic eam rem moderemur, vt etiam mediocria in laude poni posse arbitremur. Infirmior quippe est nostri animi virtus, quàm vt exacto officio singula perficere possit: & in multis item rectè voluisse sat est, vt multum à suo perfecto statu, ob innatam peccati labem, mentem degenerasse intelligamus. Dicimus porro nobiles homines eos, qui dignitatē sui generis rectè factis tuentur, vel qui decus aliquod suæ familiæ virtute

acquirunt

acquirunt. In vtrisq; enim eandem virtutis vim & laudem respicimus: Sed illis, ob sanguinis splendidioris decus & natiuitatis felicitatem, maiorem attribuimus honorem, quod cum occasio ex opum insolentia offeretur, intra virtutis tamen & modestiæ fines se continere voluerint: His verò velut nouis hominibus sola sua virtus adiumento est, alio exteriori ornamento distitutis. Cæterùm cum natiuas nobilitatis distinctiones esse aduertamus, multis omissis, duo potissimum genera pertractabimus. Primum ergo genus nobilium esto eorum, qui existimatione hominum nobiles esse dicentur. Alterum verò eorum, qui & virtutis veritate, & generis claritate nobiles existunt. Primi generis duplex pertractatio, tum in stēmatis antiqui veneratione, tum in virtutis honore constituetur. Primò ergò occurrunt illi, qui origine quidem præclari: factis autem desides, & maiorum dignitate planè indigni esse reperiuntur. Sed quid vnquam laudis inertia promeruit? Sanè familiæ decus improbitati & socordiæ nullum patrocinium præstat, nec vlla dignitatis patriæ laus & vtilitas, diuersa sequentibus relinquitur: quin imò maiorum virtus degeneres liberos indignos suo honore conclamat, & acri iudicio, quanquam in summo fastigio collocatos, coarguit, quod legitimum familiæ honorem fœdè deposuerint; vt quidem eleganter Theopompus dixisse videatur: Generosi non sunt, inquit, existimandi qui ex probis & bonis parentibus nati sunt, sed qui honesta & bona sibi sequenda proponunt. Quemadmodum enim equus non idcirco celer dici potest, quod ex celerrimis procreatus est equis, sed quod in quocunq; animali sua quædam virtus & generositas considerari debeat. Sic mehercle non rectè bonum vel fortem virum, ex bono quod est natus parente, appellaueris. Siquidem nulla homini solida laus, nisi ex rectè factis proficiscitur. Quapropter si nobilitatem vel antiquam maiorum gloriam, vel coaceruatas diuitias esse existimaueris, haud æquus cognoscendæ veritatis iudex videri poteris: siquidem rei

alienæ

alienæ & incertæ iniuſta & incerta poſſeſsio eſt: tum quoq; nemo ſapiens ſe fortunæ, inconſtantiſsimæ Deæ, quæ in ſuis bonis miſeros ſæpe ludos agit, arbitrio committat: quin potius bonum, quod natura proprium conceſsit, teneat, eiusq; lance & decreto, quicquid extrinſecus acceſſerit, æſtimet, ac in maius prouidenter augeat, vt in ſe, velut in archetypo, iuſticiæ atq; veritatis effigiem exhibeat & oſtendat. Quare antiqua maiorum gloria tum demum ad nos pertinet, cum eam in vita noſtra rectè inſtituenda & gubernanda imitari & retinere contendimus. Itaque virtutis à iuſto animi habitu profectæ facultas ad poſteros tranſmittitur, ſi ſimul & illi, vt ſanguinis cognatione, ſic virtutis vnione copulentur & connectantur. His δεινὸς χαρακτὴρ ἐπίσημος ἐν βροτοῖς ἐσθλῶν γενέσθαι: hi maiorum exemplo & moribus proficiunt: hi meritò cæteris præferuntur. videtur & hinc optimæ conſuetudinis ratio profecta eſſe, quod honeſto oriundi loco, primis dignitatū muneribus funguntur. namque ipſa generis nobilitas ſpem facit, his rectiſsimè curam Reip. committi poſſe, qui, cum ipſi honeſtati ſtudent, tum generis ſui auctoritate à ſuſpicione etiã turpitudinis deterrentur. Contra verò qui ſui ipſius ſuæq; dignitatis obliti vitiis ſe contaminant, & maiorum gloria pro ſuo fuco vtuntur, non immeritò reprehenduntur. Quid enim cœco ſpeculum, quid hiſce indignis familiæ amplitudo prodeſt? Deinde in diuitiis nobilitatem ſitam non eſſe, manifeſtum fiet. Opes ſæpè non bonitatis, ſed malitiæ potius, in deprauatis præſertim ingeniis, pabulum ſunt & occaſionem præbent; vt contra, ſi moderatio animi acceſſerit, magnum virtutis conſequendæ emolumentum adferunt. Quapropter iſta nobilitatis adipiſcendæ & conſeruandæ ratio conſideranda eſt, quæ tum in virtute & morum bonitate conſiſtit: tum multo certior & præclarior eſt, quam illud extraneum & incertum fortunæ bonum. Non igitur Socratis, ex patre ſtatuario & matre obſtretice nati, ignobilitas,

Sardanapali gloria nobilior fuit? Sanè. hic enim turpiter vita acta regnum amiſit: ille, virtutis honore æternum glorię monumentum apud poſteros reliquit. Pręterea hęc ſola & vera eſt boni natura, ne vlli rei externę ſe mancipet, neque in his, quæ corporis ſunt, ſed in ea animi parte, quæ eſt princeps & pręcipua, ineſse velit. Etenim cum Deus nos pro paterna ſua clementia bonitatis ſuę participes fieri voluit, templa eius vt eſsemus, conſtituit, pręſtantiſsimamq; noſtri partem, mentem puta, occupauit & ſuæ diuinitatis radiis illuſtrauit. Summæ ergo rei ſumma eſt tribuenda dignitas, ab eáq; ſummum honoris petendum incrementum. nam mens eſt origo virtutis, cuius deinde miniſterio, tanquam reginę, honores, principatus, aurum, argentum deſeruiunt. Quapropter ſanctitas impollutæ mentis ſolus verę dignitatis ſplēdor, certũq; eſt ingenuitatis fundamentũ; ſoliq; nobiles dicendi ſunt, qui virtuti velut mancipati adhærent, quoſue à vero virtutis tramite nulla vel periculi, vel alterius mali neceſsitas dimouere præualeat. Nec abſurda eſt Soſtrati tibicinis ſentētia, qui generis obſcuritatem ſibi obiicienti in hunc modum reſpondit: Maior mihi excellentię laus debetur, quòd vitæ meæ honeſtate meæ familiæ initium fecerim, quam tibi, qui vitę turpitudine ſummam dignitatem proſtituiſti. Quemadmodum enim frumentum non ideo melius exiſtimamus, quod in pulcherrimo agro eſt natum, ſed quia benè nutrit: ſic non ex generis claritate, ſed ex morum probitate virum optimum iudicamus. Immeritò igitur improbi, nobilitatis decus, quod ſuę ſocordię inacceſſum relinquitur, ſibi vendicant. ſiquidem patria vrbeque extorris eſt, quiſquis virtutis, quæ ſola firmas ſedes locat, ſemitam ingredi & tueri neglexerit. Proinde nec antiquitas generis tam magnificum eſt, vt nudos operiat: tam præclarum, vt indignos euehat: tam denique permanens, vt non in vitiis poſterorum euaneſcat. Nec etiam tempus vitiorum fucum; imò veritatis lucem adfert, vt Pindar. eleganter cecinit. Quod igitur familiæ vetuſtas pro dignitatis

magni-

magnificentia suiq; conseruatione requirit : id si quis non modo insolenter negauerit, sed insuper acceptam dignitatem vitiis contaminauerit, dubium non est, quin talis indignum se maiorum imaginibus efficiat. Quocirca nec Lysander solidiorem veræ gloriæ commendationē apud posteros ideò reliquit, quod ab Hercule genus duxit, cum pleraq; generis auctore, fraude & vafricie sua, indigna faceret. Quamobrem si verè existimare volumus, genus altè ab antiquissimis temporibus accersere & ea in re sola gloriari, nihil aliud est, quam laus sanguinis putridi. Probrum enim est, vt Nazianzen. rectè dixit, malum vocari, non ignobilem, genus est eorum qui diu sunt putridi. Nunc porro inuestiganda est ratio, quare heroum filii plerumq; sunt noxæ, & secula nostra progeniem producant vitiosam, mox datura deteriorem. Neminem quidem fugit ratio, sed pleriq; sanis oculis cęcutire malunt. Verum quod in agris, idem in familiis euenire videmus. Si benè excolitur ager, lætissimè proueniunt segetes: ingeniis excultis & exercitatis, pro tempore, homines excellentes & magnifici existunt. vbi autem agri cultura cessat, & parentum virtus in liberis paulatim deficit: familiæ in tantum steriles redduntur, vt excellens ista animi generositas in rusticitatem degeneret: summa ingenij solertia in barbariem & fatuitatem conuertatur. Doctrina enim, vt verbis Horatij vtar, vim promouet insitam, rectiq; cultus pectora roborant, vtcunque defecere mores, dedecorant benenata culpæ. Accedit quod vetustas omnia consumit, longa varietas omnia miscet, instabilis fortuna omnia sursum ac deorsum versat, vt non modò ciuitates, sed & ipsa mundi virtus, diuturno vsu, deficiat debiliteturq;. Quot & quàm insignes ante pauca secula fuerunt familię, quorum nec nomen superest, aut in vilissimum redactæ sunt statum? scilicet ne quis existimet tecti non firmati, & familiæ virtutis decore non exornatæ, diuturnam longamque fore possessionem. Hoc amplius grauissimè à Platone dictum est; si primam cuiusque

familiæ

familiæ originem inquiſieris, inficias non ibis, quod nec Rex, qui originem à ſeruo non duxerit, nec ſeruus fuerit, qui à rege oriundus non venerit. egregia igitur eſt Horatij vox dicentis, permutat ima ſummis, inſignem attenuat Deus obſcura promens. Nec opus eſt de hoc exempla referre, cum cuiq; ea ſint obuia, & nobis velut oculis expoſita tam antiqua, quàm recentia, quod nempe præter cæteras res omnes familiæ procedant inſtar rotæ in gyrum velociſsimi curſus agitatæ. Quod tum ſua calamitate teſtatum faciens, rex quidam à Seſoſtri AEgyptiorum rege captus dixit, cum alligatus tribus alijs regibus currum traheret: talis eſt noſtræ conditionis ratio, qualis rotæ currus, vbi modò ſummum imo, modò imum ſummo ſuccedit conuerliturq;. Nulla ſors longa eſt, ait Seneca, nedum familię, relicta virtute, antiquatæ gloria. ſenſim namq; fortuna à ſe largita bona miſcet & aufert. Ergò non eſt vis in genere, cum de inferioribus fiant reges aſcendendo, ex regibus comites deſcendendo. Quamobrem qui caducis rebus ſe credere audet, & ob alienas laudes tumidos ſpiritus aſſumit, quin in maximo is verſetur errore, atq; in præcipitio fortunæ conſiſtat, non eſt dubium. Si enim eminentes fortunæ ſæpè contrarios ſortiuntur euentus, quousque hic fallaci temeritate progredietur, qui ſuæ conditionis ſtatum non virtuti, ſed euanido fortunæ bono concredidit? Proinde cum omnis ſtatus noſter ſub perpetuo motu conſiſtat, profectò ijs bonis innitendum eſt, quæ ſua ſede nulla fortunæ tempeſtate dimoueri poſſunt. Sed tamen fatendum eſt, quod maxima diſsimilitudo ſit tum ingenij, tum virtutis etiam inter optimè natos, vt non immeritò dicere liceat, magnam in vtramq; partem educationi vim ineſſe. Hoc in canibus ex vna matre natis videre licet, quod alter alterum ſæpè generoſitate & ſolerti indagine vincat: idem quoque in ſobole eiuſdem ſeminis euenire poſſe, exemplo ſint filij Abraham S. Patriarchæ: hic prole fæcundus multos ſuſcepit è tribus mulieribus liberos; at è multis vnus ſolus nuncupa

tus est heres patrimonij: alij omnes, cum à pietate desciuissent, & nullum parentis sui factum expressissent, ablegati sunt à familia & à nobilitate illustri alienati. Indignis igitur, qui virtutis & artium egent, nihil confert naturæ donis & generis commodis omnibus abundare. Quamobrem semper recta, iusta & honesta agere consilium est: sic enim, si sumus nobiles, ostendemus nos non indignos magnificentia nostræ familiæ: si ignobiles sumus, familiam obscuram splendore & radijs dignitatum illustrabimus. Succedit ergò nunc dicendum, quæ tantæ varietatis ratio existat. Sanè non licet parentibus sic virtutis, pietatis, fortitudinis & iustitiæ thesauros relinquere, vt opum & diuitiarum aceruos ipsis recondunt: Tum quoq; hanc sibi Deus prærogatiuam in rebus humanis gubernandi formam reseruauit, vt arcano & inscrutabili suo consilio cuncta fiant & moderentur. Ille enim dat, cui vult, ille honores transmutat & locat, ille gratiam & sui amorē humilibus impertit, ne quis mortalis vltra fas altè sapere, & suis, etiam quæ non habet, largiri præsumat: quin potius se diuinæ voluntati subijciat, & suorum fortunam iusta educatione & vitæ honestate moderandam esse sciat: mens enim primæ ætatis rudimenta & in reliqua vita reseruat. Quare ab vnguiculis Deum diligere, humana despicere, virtutem colere, vitia fugere, leges vereri, offendi prauis, lętari bonis, iuuenum decus est: Quæ si initiò placuerint, mox honestatis laus fructus vberiores reddet; vt si certa fuerit animi benè compositi facultas, certior quoq; externis rebus comparata sit possessio. Iam vero, si parentum dignitati confidis, ab alieno eoq; fugacissimo bono pendendum erit; quo sublato nuda cornix mouebit risum: si diuitijs onustus gaudes, alienæ te culpæ reum facies. Vix enim opes citra fraudis participationem & proximi læsionem acquiruntur, vt Pythagoras censuit. Timidius verò sine legitimo vsu possidentur. quid etiam vulgatū sermone prouerbium enunciet, cuiq; cogitandum relinquo: Opes malè partæ malè dilabuntur. Nec quicquam dixerim de

D. Hiero-

D. Hieronymi sententia ad Phidiam ita scribentis: Omnis diues aut est iniquus, aut heres iniqui. Si ergo ex opulentia nobilitatem existimaueris, mirum ni familiæ bonum feceris initiũ, vel potius fœdum induxeris exitium. Quare magis est, vt existimem, virtutis potius, quam opulentiæ opum sibi exhiberi testimonium esse optandum: illud enim bonæ mentis, hoc autem fortunæ affluentis encomium esse videtur. Quapropter, vt reuertatur vnde deflexit oratio, nobiles, in quibus nullus labor nullaq́ industria virtutis est, ac solùm maiorum merita & imagines commemorant, & hac rerum externarum vmbra se magnos putant, vani & fatui sunt. *Nam quid imaginibus*: quæ non ignauis, sed solertis ingenij ac virtutis hominibus attribuuntur & deferuntur: *Quid auitis fulta triumphis, atria?* Quod enim maiores labore ac bellico sudore pararunt, id nos socordes tenere, nefas existimandum est. *Quid pleni numeroso consule fasti proficerent:* Quanto maior laus est ijs, quorum industria & virtus hoc meretur, vt eorum sollicitudini tota Reip: cura incumbat: tantò turpius dedecus eorum, qui se omnium vitiorum exemplar alijs exponunt. *Si vita labat, perit omnis in illo Gentis honos*; qui ex virtutis decore cæptus non nisi æquali eiusdem lance ac perfectione confirmatur: *cui laus est in origine sola*: eleganter hæc Ouidius cecinit: sed nobis idem ex diuinis literis demonstrabitur. Quis ex Adamo nostrum omnium primo patre natos, patricios & quidem patriciorum principes esse negat? Si quidem pro prima maris ac fæminæ coniunctione præclarissimum & augustissimũ genus sortiti sunt. Parem tamen vterq́ non retulit pietatis amorem. Maior namq́ natu filius Cain minorem iustum Abel immaniter, horrendum! è medio sustulit, nec terram sanguine fraterno polluere dubitauit. Quid ergo huic profuit generis nobilitas animi ignobilitatem præ se ferenti. Quid boni contulit Cham filio Noah tanto patre fuisse genitum, qui propter mentis improbitatem ab illustri nobilitate delapsus execrabilis factus est, & posteris

initium fidemque infelicitatis reliquit. Quamobrem hi fines ac
termini hominibus adeptæ dignitatis præfigantur, ne, qui vir-
tute expertes sunt, de splendido genere intumescant. Multo au-
tem rectius hic fecerit, qui hoc agit, hoc curat, in hoc desudat,
vt cordatè dictum factumq; M. Tullij Cic. vsurpet: Satius est
me meis rebus gestis flo: ere, quā maiorū opinione niti, & ita niti,
vt ego sim posteris meis nobilitatis initium & virtutis exem-
plar: contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam:
mihi fortuna, illis probra obiectantur: melius est peperisse
nouam, quam acceptam dignitatem corrupisse. Quò ergò
dementiæ dilabuntur illi, qui se ob maiorum laudes absq; suo
merito magnifieri volunt, quis non videt? Sed aduerte, maio-
rum gloria posteris quasi lumen est, neq; bona illorum neq; in
occulto mala patitur esse, vt non satis, nec cuique suæ inertiæ
præstat encomiū, quamuis infelices filij laudent parentes suos,
vt est in prouerbio. Quicunq; ergo præclarum sortitus est ge-
nus, ad Deum omnium rerum gubernatorem preces fundat, sem
perq; vota faciat, vt sibi, diuino comitante fauore, honestatis se-
mitam & maiorū sancta exempla sequi & imitari liceat. quippe
plena turpitudinis arrogantia est, de parentum laude se indigno
gloriari: nam fortis natura iustus & à seruo oriundus nobilior,
teste Euripide, quā qui inani gloria tumet, censendus est. Adhuc
demonstratum est, quod nemo verè nobilitatem sibi ratione o-
riginis arrogare posſit, cum æstimatione communis omnium
ortus nihil homines inter se peculiare habeant. Vna enim ea-
demq; tellus omnes nobiles & ignobiles produxit, & vnus pater
Deus omnibus eandem largitus est faciem: Quod autē distincti
inter homines sunt dignitatum gradus, id non origini cuiusdam,
sed virtutum meritis imputandum est. Itaq; virtutis opinione
& temporis diuturnitate factæ sunt arbitrariæ leges, quibus no-
bilitas in alijs commendetur, in alijs verò contemnatur. Siqui-
dem pro sententia Eurip. ὁ ὐδ᾽ενος ἐκφὺσ χρόνος δικαίυσ ἐπάγων
κανόνας δείκνυσιν ἀνθρώπων κακότητας, h, e. Tempus ex se natum

iustam

iustam adducit regulam, qua vt ostendit hominum prauitates, sic meritas laudes celebrat.

Secunda ergò species primi generis succedit, quæ est eorũ, qui propter virtutem nobiles esse existimantur: & hæc quidem ratio ad consequendam nobilitatem & rectior & honestior esse videtur. nam quis neget pluris æstimandã esse rem labore comparatam, quàm quæ vel natura, vel casu contigerit? & nonne maior est excellentia eorum, quæ animo posidemus bona, quã quæ corpore? Certè vtriusq; comparatione inane iactantiæ argumentum esse videtur de natiuitatis iure, non secus ac de Salmaticis spolijs sine sanguine & sudore partis, turpiter insolescere. Atquin virtutis pro æquitate ac patriæ salute propugnantis laus perpetua est. hęc aduersa fortiter perpeti docet, hęc in summa periculi difficultate constantes seruat, hæc viros magnos & æterna laude celebrandos facit. Hanc si neglexeris, non est quod aliud felicitatis fundamentum petas. Quid? nobiles esse censes, qui auitas paternasq; flagitijs obruerunt imagines: at ignobiles, qui posteris fecere genus? Proh Deum atq; hominũ fidẽ! in illis non seruasse, quod acceperunt, maximum sit decus: in his, quod nemo dederat, fecisse non sit laudabile? Quamobrem quod summa hominũ differentia est, virtutis vnica vis & potestas constituit, quæ cuiq; status & conditionis suæ iustã ostendit rationem. Si enim homines nascendi sortem sibi facere possent, nemo esset humilis, nemo egenus; vnusquisque felicem domum inuaderet: sed quam diu id non licet, naturæ munere nobis vtendum est, vt in quemcunq; locum illa nos miserit, in eo acquiescamus. Si igitur nominis amplitudinem consequi optamus, virtute nostroq; labore id effici debet. Itaq; summo digni honore reputabimur, cum sumus nostri. Quis fuit Dauid, conscendit cum limina regni? custos pauperis gregis. Quis fuit Marius, si illum in suis inspexerimus maioribus? humilis. Quis Agathocles? filius cuiusdam figuli.

Quæ

Quæ ergò tentanda via, qua te quoq; poßis
Tollere humo, victorq; virum volitare per ora?

Eſt vix via, alta, ardua, per ſpeluncas ſaxis ſtructas aſperis, pendentibus, maximis, vbi ſummo vertice amœnitas certiſsima. Hanc non generis amplitudo, nec diuitiarum aceruus ſternet & aperit, verum illam virtute & præſtanti mentis robore vincere & exſuperare licet. quare hoc intuendũ eſt, quod ſanctum & auguſtum nobilitatis nomen, non atrium famoſis plenum imaginibus, ſed animus virtute & bonis literis inſtructus nanciſcatur & contineat. Quo tum pertinet, quod Phalaris tyrannus Agrigentinus Axiocho reſpondit: Ego nobilitatem virtutem noui, cætera fortunam: nam humili genere natus, vt bonus, ita regum & omnium hominum nobiliſsimus fieri: contra aliquis parentibus bonis ortus malus euadere poteſt, ac cũ ſeipſo, tum viliſsimis quibuſq; ignobilior: Tum his cordatè addebat: Igitur de laudibus animi glorieris, non de maiorum nobilitate in obſcuriori poſteritate iam extincta. Quocirca liquidò conſtat, quod magnum & nobilem virum non maiorum nobilitas, ſed animi virtus efficere ſoleat. Sed quod res iſta ſic argumentis ſatis probata, nihilominus ad vulgi opinionem, quæ generoſo è ſtemmate natos, magis quam nouos virtutis laude ſuſpiciendos homines & honorandos putat, accommodanda ſit, id ex communi errore profectò veritati vim adfert. Inſuper hæc virtutis vis & natura eſſe intelligitur, vt quibus decus & honorem attulerit, ijſdem quoq; inuidiam ceu vmbrã comitem aſsignet. Itaque non mirum, vt quibus μι μέισθαι non licet, hi maximé μωμῆσθαι cupiant: imitati exemplum vulpis, quæ, vt eſt in fabulis, cum in alta arbore pira pro fame ſedanda appeteret, ſæpeq; arborem cauda percuteret, nec tamen optatis potiri poſſet, tandem irata contumelias in pira, quod eſſent acerba, dicere cæpit. Planè non alienum ab ijs factum videtur, qui cum ſua deſidia iſtos dignitatum gradus conſequi non poſſunt, contemnũt & dicterijs proſcindunt omnes, qui virtute partam ſibi dignitatem poſ-

tem poſ-

tem posſident: vnde apparet, quod qui tam ſiniſtrè ſentiunt, ſint vt plurimum virtutis decore priuati. Sed aliud de hac re vir præſtans & virtutis laude abundans ſumit iudicium. Sua enim merita auitæ dignitati collata procul dubio pluris faciet, quàm vt ſoli generis claritati inhærendum putet, ne ſola nominis hereditas ſine factorum imitatione ad ſe perueniſſe videatur. Itaq; aliter ſentientiū opinio explodenda eſt, ne veritatis æquitatiſq; leges incerto iudicio ſubuertantur. Quòd præclarus ſit theſaurus, teſte etiā Platone, maiorū dignitas, nemini eſt dubiū: Sed multo prẹſtantius eſt huic opponere poſſe Stenelei dictum:

Atqui nos patribus longè præſtamus auisq;.

Hæc igitur generis laus eſt tutiſsima, virum collaudare, quòd iuſtus ſit & moribus optimus, & eundē vocare nobilē. Namq; ſi lege iuſticiæ quodlibet ſuis partibus æſtimaueris, honor nobilitatis, quæ ſi eſt mentis viuida virtus, animo; ſi corporis, eiuſdem generoſitati attribuetur: haudquaquam familijs, vt pote rei extrinſecæ, aſcribi poterit. Quare qui proprijs bonis carent, ad maiorum imagines confugiunt, nec animaduertunt, quod iſta generis nobilitas, qua gloriantur, ſimilis ſit publico ſingularum ciuitatum numiſmati, quod apud eos quidem valet, qui inſtituerunt, apud alios verò adulterinum habetur, vt Galeni verbis vtar, qui ſubdit: Sanè æquum videtur, qui nulla alia de cauſſa ſuſpiciendi ſunt, niſi ob diuitias, ſimulatq; his ſpoliati fuerint, pariter & illis ſpoliari, quæ ob diuitias habebant. Quid enim iſti facerent, qui nullum proprium poſſident bonum; ſed perpetuò pendent ab alienis & ab his quæ ſunt fortunæ: tales ſunt & hi qui nobilitatem venditant, atq; hinc ſibi placentes tollunt criſtas: hæc ille. O dementiam, non ſaltem hoc illi intelligunt, quod quò præclarius ſortiti ſunt genus, hoc maiorem vituperij notam incurrant, maximumq; infelicitatis nexum trahant: vt contra obſcuro loco nati hoc lucri faciunt, vt pleriq; neſciant, quales ſint: tum & hi ſummopere commendantur, qui nullo maiorum exemplo virtutem fuerunt

ſecuti:

secuti: illi verò meritò contemnuntur, qui non & lege naturę, & suorum exemplo virtutis cultũ susceperint. Quare amplectenda est sententia Eurip. in Dycteto: de nobilitate parum laudis prædicare possum. bonus enim vir, mihi nobilis videtur: qui verò non iustus est, licet à patre meliore quam Iupiter genus ducat, ignobilis est. Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin vera gloria à virtute proficiscatur, non absurdum esse duco, eiusdem rei testimonia ab externis corporis partibus petere, quæ Philo in suo, quem scripsit de nobilitate, libro eleganter inducit. Quid, quæso, oculis capto ad vsum profuerit perspicax maiorum acies, cum ea priuatus sit, vel quid ad interpretandi facultatem impeditæ linguæ hominem iuuerit, parentes & auos fuisse vocales? Quid ad laterum firmitatem contulerit homini, qui longo & tabido morbo debilitatus est, si generis principes propter athleticum robur ascribantur inter eos, qui in Olympicis aut periodicis h. e. omnibus illis quatuor certaminum generibus victores extiterunt? siquidem manent nihilo secius eodem modo corporis vitia, nec reddi meliora possũt ex propinqua felicitate. Pari ratione nec iniustis iusti parentes, nec luxu perditis temperantes, nec omninò boni malis quicquã vtilitatis afferunt. Itaq; arbitror nobilitatem, si Deus eam ad hominis formam effinxisset, stantem contra effrenatos posteros hæc dicturam: Non sanguine tantum, veritate iudice, sed actionum earundem similitudine & consectatione æstimatur generis coniunctio: Vos autem studia coluistis diuersa, inimica, quę mihi sunt amica, & amica, quæ mihi inuisa putauistis. Apud me verecundia & veritas, moderatio, modestia & innocentia in honore sunt; apud vos autem sine honore iacent. Mihi inimica sunt impudentia, mendacium, immoderatio perturbationum, fastus vitiositas: vobis intima & cognatissima. Cur factis vosmet alienatis & verbotenus cognationis nomen induitis & simulatis. Insinuationes enim comptas & fucos non fero, propterea quod facile est sermones in speciem bonos inuenire: at mo-

res ma-

res malos commutare bonis haud facile est: In quæ cum intueor, & iam inimicos censeo, & deinceps existimabo, qui odij faces incenderunt. Hisce Philo eleganter sanè nobilitatis naturam in virtutis studio positam descripsit, atq; certo ceu indicio exactam rationem habendi iudicis de hominum dignitate tradidit; nihil tamen interim familijs honestis detractum iri volo. nam præter cæteras vtilitates, quas generis claritas secum adfert, hanc vel præcipuam habet, quod homines ingenui quasi lege astringant vt ad virtutis amorē, ne scilicet propositis exemplis domesticis ab auita virtute degenerent. Vnde & Q. Max. Scipionem & alios dixisse accepimus, se intuendo maiorum suorum imagines plurimùm accendi ad virtutis studium. Insuper rarò euenit, vt mali quid ille designet, qui considerat hoc se facto & maiorum dignitati labem, & periculum esse sibimet ipsi allaturum. His ita expositis restat vt de secundo nobilitatis genere disseramus, qui tum tenetur, quando generis claritas summa cum virtutis laude coniungitur atq; retinetur. Nobiles igitur veri sunt, qui acceptam à patribus nominis hereditatem suis porrò studijs, quibusdam dotibus & augmētis cumulant, vt non solum in nobilitatis ipsorū societatem veniant, sed in factorum quoque imitationem transeant: non æquantes modo, sed aliquando etiam adaugentes: exemplo Augusti Cæsaris, qui ait, se Romam ex luto ædificatam reperisse, sed ex marmore extructam reliquisse. Hi enim non solum propter maiores suos, sed propter semetipsos potissimum, vt apud Isocratem Nicocles refert, maiorem etiam honoris amplitudinē merentur. Atque hæc generis nobilitas, teste Socrate, iusta æquabilisque est animæ & corporis temperatio: huius laude celebrati sunt apud veteres magni heroes & homines Dijs similes, qui virtutem vnicum sibi præsidium, & rerum diuinarum atq; humanarum scire rationem thesaurum omnium præclarissimum esse existimarunt. Quippe & generis amplitudine & virtutis industria in summo dignitatum gradu constituti manife-

stum

ſtum ſuæ excellentiæ argumentum moribus & factis probabant: nec par eſt vt obuoluta dignitatum ac virtutum claritas in obſcuro lateat, cum nec id nomen nobilium q. noſcibilium appellatum fieri patiatur. Quemadmodum enim aromata ſuauiſsimo fragrantia odore, quantumuis in vaſe recondita, vbiq; odorandi ſenſum explent, eumque non modò ad proximè adſtantes, ſed ad vlteriores etiam tranſmittunt: Ita profectò honeſtus & ingenuus animus ſui muneris & ſinceritatis vota ad plures transfert & communicat, vt ratio excellentiæ ſuæ & explorata omnibus, & vtilis appareat. Egregia igitur eſt vox Conſtantini magni Imp. Quantò, inquit, excellentiorem locũ inter homines tenemus: tantò hominum plus paremus aſpectibus, omniumque mortalium oculi, omnium iudicia, omnium vota noſtrum velle & noſtrum nolle conſiderant. Certum eſt igitur hanc acquirendæ laudis tutiſsimam atq; ſolidam eſſe rationem, vt fortunæ & generis beneficio ſublimati, noſtris portionem, vt fortunæ & generis beneficio ſublimati, noſtris porrò moribus, ſtudijs ac virtuti ampliſsimum magnificentiæ decus aſſequamur. Nec enim hoc vir nobilis pati debet, vt, dum obſcuro loco natos virtute euehi poſſe videat, non ipſe quoque ſuæ dignitatis ſtabilem atq; perpetuam virtute & magnificentia tenorem conſeruet ac tueatur. Quemadmodum vero Reip. tuendæ & conſeruandæ ratio duabus potiſsimum rebus contineatur, armis nimirum & legibus: ita profectò illi, cui gubernacula rerum, ſiue id in publicis fiat rebus, ſiue in priuatis: nulla enim vitæ pars officio caret: demandantur, neceſſe erit, vt cui ſe parti natura ingenij q; viribus maximè idoneum eſſe cognouerit, eam vigili ſtudio magnaq; opera ſuſcipiat atque exerceat. Quippe omnia ſimul benè præſtitiſſe non homini datum eſt. quocirca vnã ſolidè didiciſſe artem iuuat. Coniuncta enim multorum ſtudia certiſsimum florentis Reip. fundamentum locant. Itaq; minuenda eſt opinio quorundam exiſtimantium bellicis ſolum rebus iſtud decus tribuendum, quod magnos & nobiles faciat viros: quaſi vero interior mentis affectio & induſtria, qua externa hominum opera moderantur, non ſit &

vtilior

vtilior & præclarior. Sed qui ita iudicant, vim veræ nobilitatis non percipiunt, tantum abest vt eam sua natura vel parte æstiment, quod nimirum nobilitas mens sit, Deitatis imago. quare si illa impedita fuerit, quid manus efficient? Atq; si doctrinis imbutus honestis alios antecellit, vt homo brutis animalibus rationis munere, quid de illis, qui cum ipsi nihil pensi faciunt, tum alios ludibrio habent, iudicandum sit, quilibet sapiens viderit? Profectò monstrosa hæc res est gradus summus & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua & manus ociosa, sermo multus & fructus nullus, vt verbis D. Bernhardi vtar. Nos autem ex sententia exemploq; inuictissimi populi Romani tenemus, non minus literis quam armorum virtute nobilitatem comparari posse. Maior enim apud illos prudentiæ ac fortitudinis togatę ratio habebatur, qua Reipub. salutem dabant & conseruabant, quam militaris scientiæ, quæ solum belli tempore, non tamen sine consilij prudentis moderatione, laudabilis & necessaria est. Quo pertinet elegans dictũ Choricij: sine bono consilio nihil efficit robur: prudentia verò, quamuis robur non assumpserit, multa multoties excogitat. Sanè Q. Maximus maiori gloria dignus est, qui cunctando restituit rem: quam Q. Terentius Varro, qui temeritate consilij apud Cannas exercitum perdidit. Et, me hercle, inauspicata nobilitas Catilinaria Rempub. Romanam contudisset, si non prudentissimus consul Cicero eam in libertatem asseruisset. Vnde Iuuen. *Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.* Sapientia viribus præstat, & vir prudens melior quam fortis. Itaq; domesticæ fortitudines, teste Cicerone, non sunt inferiores militaribus, in quibus plus etiam quam in his operę studijq; ponendum est. Omninò enim illa nobilitas, quam ex animi viuida virtute proficisci diximus, mentis efficitur non corporis viribus. Quemadmodum enim maior est animi vis quam corporis: sic hę res, quas persequimur, ingenio laudabiliores sunt, quam illæ, quas viribus, prout Vlysses quoq; 13. Metamorph. inquit apud Ouid. *Tu tantum corpore prodis.* Nos

Nos animo: & paulo post. Non in corpore nostro
Pectora sunt potiora manu, vigor omnis in illo est.

Vt enim Imperator iusta belli gerendi consilia capiat, milites in officio contineat, deuictis gentibus iustè imperet, quis literarum cognitionem ei necessariam esse negabit? Parua enim, ait M. Tullius, sunt arma foris, nisi domi sit consilium. Quinimò quantò maiori gloria dignior est, qui rem partam inconcussam conseruat, illo qui de nouo acquirit: tantò doctus homo & præstantior & magnificentior est. quippe cui perpetua cura sollicitudo & anxietas incumbit, hostesque infensissimi, inuidia & odium, exsuperandi, vt adeptam patriç salutem pro dignissimo militis præmio, tutò diuq; retineat & conseruet: tum quoque huius prudentia certa est salutis lætitia; illius verò sollicitudo incertus belli euentus. Rectè igitur à Seneca dictũ: studia sunt, è quibus claritudo venit. Quod tamen Licinius Imper impius & obscurus, eiusque asseclç homines barbari, qui literas bonasque artes pestem humani generis existimant, non æquè admittunt: quare & illis meritò euenit, vt dum doctos despiciunt, ipsi ab omni deinde posteritate contemnantur. Plane quanto quis studio doctrinam bonasq; artes amplectitur, tanto sui nominis memoriam celebriorem reddit, vt quia alijs dignitatem tribuit, sibi eam augustiorem venerabilioremq; efficiat. Itaq; M. Pompeius egregium modestiæ encomium retulit, quod non solum ipse bonas literas addiscebat, sed in alijs quoq; doctrinæ cognitionem admirabatur. Is enim, confecto bello Mithridatico, Posidonij tunc sapientiæ professione clari hominis domum dum intraret, fores de more percuti vetuit fascesque lictorios ianuæ submisit, cui se oriens occidensq; submiserat. Prçclarum profecto summi viri de literarum dignitate testimonium. Sed tamen hæc ita accipienda sunt, vt tunc togatæ ac militaris rei in vsu politico comparatio prælatioq; fiat, cum vtriusq; vtilitas perspicitur existimaturq;. Nec enim nuda pectoriq; inclusa scientia virtuti bellicæ vnquam præponi debet.

namq;

namq; thesaurus absconditus & res præclara nullius vsu inseruiens, haud magni æstimanda est: Sed si vtriq; Reipub. fungantur muneribus, tum demum distinctæ dignitatis iusta ratio apparebit. Quapropter id contendamus,ne studium absque opere magis vitio quam laudi nobis in difficili vitæ statione versantibus detur.

Vt porrò artis cuiusq; perfectio in vsu & exercitatione consistit, sic nobilis & magni viri prudentia atque generositas illustrior & præclarior efficitur,si eam cum rerum cognitione tam difficillimis peregrinationibus testatam fecerit. Sic Horatius magna cum sapientiæ atque virtutis commendatione Vlyssem celebrat, quod multorum prouidus vrbes & mores hominum vidisset. Istud verò ijs maximè necessarium esse videtur, qui primam ætatem in rerum copia & amicorum rectè sentientium inopia transegerunt, vt de quibus domi admoneri non potuerunt, ipsi in exteris locis exemplo studioq; aliorum videant & experiantur. Peregrinatio enim, vt Democrito placet, vitæ frugalitatem adfert. Proinde qui varias Rerumpub. formas perlustrauit, variasq; fortunæ vices sustinuit, & fortior in curis perferendis,& dexterior in dandis consilijs, vbi Reipub. curam adeptus fuerit, existit; & simul intelliget, quantum in virtute, quæ viro sapienti omnem terram esse patriam facit, positum sit. Huius loci est præclarum Ducis Cephaliorum exemplum referre. Hic licet naufragio summo cum detrimento eiectus fuerat nudus & solus, nihilominus tamen homines à suo conspectu auertit: siquidem præclarissimo virtutis tegumento ornatus & indutus fuit. quare tantum sui videndi desiderium excitauit, vt regina & tota simul Phæacum multitudo epulis relictis hunc conspicere, huic gratulari, huius fortunam vnicè à Deo expetere non dubitarint; exclamat ibi Homeri interpres: O homines sit vobis cura virtutis, quæ cum naufrago enatat, & in litore nudum eiectum fortunatis Phæacibus venerabiliorem ostendit. Abundè ergo ipsa rei veritas ostendit, quod rei

 propriæ,

propriæ, firmæ & nullo periculo edomandæ, innitendum sit: cætera namq; omnia fortunæ magis ludibrio exposita sunt, vt in talario ludo nunc huc, nunc illuc transeuntia. Ne longiores simus, rem totam paucis complectemur. Hi ergo, de quibus modo diximus, nobiles duabus potissimũ rationibus præcellunt; virtute nimirum & generositate vero nobilitatis ornamento: quandoquidem iuxta Philosophi dictum, nobilis ille dicitur, qui ex bono nascitur stemmate, generosus qui non degenerat à natura suiipsius. Quocirca interrogati, quid de cuiusque dignitate sentiamus, responsum Socratis Leontino Gorgiæ datum referamus: οὐκ οἶδαμεν πῶς ἀρετῆς καὶ παιδείας ἔχει.

Sed quia diuitiæ magnum nobilitatis atq; magnificentiæ momentum in se continent, de legitimo earum vsu pauca disseremus. Magnam quidem diuitiæ vim habent, hisce præsertim corruptis deprauatisq; hominum moribus, vt apud omnes ferè ordines Bellerophontis impia vox exaudiatur. *Sine me vocari peßimum, vt diues vocer.* Subijcit tum postea:

Nemo an bonus, an diues omnes quærimus,
Non quare & vnde, quid habeas tantum rogant.
Vbiq; tanti quisq;, quantum habuit, fuit.

Ecce quod admiratione fortunæ malum humanis influxit mẽtibus. Nec enim pecunia solum amatur, sed nemo etiam, nisi diues sit, honore dignus habetur, prout & illud Horatianum consonat.

Omnis enim res
Virtus, fama, decus diuina humanaq; pulchris
Diuitijs parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens etiam Rex
Et quicquid volet.

Quinimo eò vsq; hæc hominum opinio progressa est, vt & Prouerbij vicem sustineat: Pecuniæ obediunt omnia. Certè magna hic mentis discretione, magnaq; opus est fortitudine, vt, quod rectum est, teneas tantæq; multitudini resistas. Nec etiam Menandri Senarius me latet, πενία δ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ. Siquidem, vt & Aristoteles attestatur, fieri non potest, aut non

facile

facile fit, vt is agat res præclaras, cui facultates desunt: multa namq; per amicos, per diuitias, per ciuilem potentiam, tanquã per instrumenta, aguntur; attamen hoc diuitiæ non habent, vt virtutis sibi propriam gloriam vendicent, quantumuis sint potentissima media adipiscendæ virtutis conseruandæq; dignitatis: Vbi enim non honoratur virtus, vix ibi firmus optimorũ status consistit. Quare non sunt audiendi, qui fauore deprauatę opinionis calumniosè virtuti, vero nobilitatis fundamento, debitum honorem detrahunt, alijsq; rei, natura sua vilissimæ & caducæ, asscribunt. O cæcæ mentes. O vana consilia hominum, qui diuitijs confidunt, ne virtuti præmia dentur. Vtinam aurea Pythagoræ sententia animis quorundã inculcari posset: Diuitiæ, ait, anchora sunt infirma, gloria etiam infirmior, corpus itidem, magistratus, honores, omnia hæc imbecilla & viribus destituta. Quæ ergo sunt anchoræ firmæ? Prudentia, magnanimitas, fortitudo, eas nulla tempestas agitat: Hæc Dei lex: virtutem solam esse, quæ potens solidaque sit; cætera omnia nugas & ineptias. Hoc si plærique intelligerent, maiorem profectò virorum fortium atque innocentium copiam haberemus, & omnia tuta salua in rebus humanis forent, cessaret lucri cupiditas omnium malorum fomentum, vigeret iustitia, vt quisq; tueretur quod suum est: pax almifica dominaretur: nã quisq; se suisq; contentus aliena non diriperet. At nunc tempora malos desidesque proferunt, qui dum nihil animi, nihilque neruorum habent, alienis incõmodis sua augere commoda, alienis meritis suam ornare dignitatem peroptant: imò momentis omnibus voluptates capere festinant. Hi cum maximum bonũ iudicent opes, quas si bonis artibus assequi non possunt, malis assequi volunt, fraudant, rapiunt, spoliant, insidiantur, abiurant: nihil deniq; momenti aut pensi habent, dũ modò auro coruscent, argento, gemmis, vestibus fulgeant, auidissimo ventri opes suggerant, stipati familiarũ gregibus per dimotũ populũ sẽper incedant. Sic Lact. sua quoq; tẽpora lamentatus est.

Hos

Hos autem vulgus hominum cœcum & demens nobiles existimat, ipsi etiam se tum beatos censent: cum tamen extincta mentis vi atq; vigore ad mortem concitatissimè properent. Lacedæmonijs etiam oraculo responsum est, tum demum Spartam vincendam esse, cum homines aurum & argentum in pretio habere cæperint. Nos igitur melioribus instituti literis saniorem amplectamur sententiam, ne pauperi, cui ipsa veritas regnum cælorũ adducit, dulci fortuna ebrij insultemus. namq; terrenis confidentes caducisq; rebus, diuina plerumq; negligunt, vt verendum sit, ne eueniat quod Christus ait: difficilius esse diuitẽ regnum cælorũ ingredi, quam Camelum foramen acus transire. Reliquum nunc est, vt Deum Opt. Max. omnis sapientiæ authorem supplici mente precemur, vt mentes nostras suo illuminet spiritu, nosque veram Pietatis ac Virtutis semitam ingredi doceat. namq; eius auxilio consequi licet, vt ipsum teneamus, virtutem colamus, alios beneficijs, nos virtutibus ornemus, & tandem decurso hoc vitę miseræ curriculo cælestis dignitatis ἐν εὐφημίᾳ adipiscamur. Idem ille pater omnis gratiæ nos in sui tutelã recipiat, vt omnes nostrę actiones & consilia in sui honorẽ, Reip. emolumentũ atq; nostram salutem cedant felicissimè. Dixi.